

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0938
	0936
	0942
	0932
	0947
	0927
	0987
per mensem Septembrem, continens acta peregrinorum in illo mense et loca sancta cum eorum descriptionibus, in quibus peregrini fuerunt diebus illius mensis.	0887
September dum adesset cum prima sua die, Missam in nostro loco audivimus et post statim cibum sumsimus. Prandio finito advocavimus quendam Sarracenum et eum petivimus, ut nos ad loca duceret, in quibus Samson gesta fortia egerat, quae liber Judicum de eo in hac civitate facta commemorat. Descendimus ergo per longum vicum et intra urbem per platem quandam venimus, in cuius parte ruinas magnae domus vel palatii vidimus, murorum fracturas in acervum ingentem congestas. Creduntur autem hae ruinae esse templi Dagon antiquissimi, quod Samson concussis columnis dejecit et se cum satrapis Philistinorum et multo populo peremisit. De quo longa habetur historia Judicum XVI. Inter murorum ruinas vidimus duas columnas marmoreas, ingentes, grisei coloris, quae totum templi aedificium sustentaverant; has concutiens Samson templum evertit, et inimicos prostravit. Ab hoc loco consequenter progressi longa via ad civitatis portam venimus, cuius fores cum postibus et seris nocte media abstulit Samson, eosque in montem civitati oppositum portavit et manus inimicorum, qui se in civitate concluserant, evasit. Per hanc portam de urbe exivimus et montem praedictum ascendimus ad locum, in quem Samson portas Gazae transtulit, et ipsum locum et totam circumferentiam consideravimus. Ibi vidimus Tamnata, oppidum Philistinorum, de quo sibi Samson uxorem Philistaeam assumxit et multa ibi fecit, ut dicitur Judicum 13. Vidimus etiam vallem fertilem Soreck, in qua vinea illa electa fuit plantata, de qua habetur Esaiae XI. In hac valle residentiam habuit illa fallax Dalida, quae Samsonem	1037
	0837
	0437
	Ende
	Anfang